



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. Quousque essentia entis vt sic distinguatur ab existentia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

& paucis interiectis : Nulle namque ceterarum vniuersaliter de ente, prout ens est, considerant; sed eius aliquam partem abscondentes, quod ei accidit, speculantur. Et ibidem inferius: Manifestum igitur est, quia entia vniuersalia sunt scientia speculativa in quantum entia, & mox indidem: Omnis autem generis vniuersalis est sensus vniuersalis, & scientia, ut Grammatica vniuersalis omnes speculatur voces: quapropter & entis, in quantum est ens, quasque species speculativa vniuersalis est scientia genere, & species specierum. Vnde sic argumentor: obiectum attributionis cuiuscumque scientia speculativa ab arbitrio inuentoris, & plerorumque sectatorum dependet; at Metaphysica scientia speculativa est, ut nunc liquebit: eiusque obiectum attributionis finemque voluit Aristoteles inuentor Metaphysicæ saltem Aristotelicæ, esse ens ut sic, ut ex adductis testimoniis liquidò constat: eique communiter reliqui Philosophi ad stipulati sunt, nimirum D. Thomas, Scotus, Albertus, Aphrodis. Commentator Auicenna, Soncinas, Ægidius, Soarius, Fonseca, alique, quorum census prolixus foret.

Postremò Metaphysicam nulla ratione practicam esse, sed potius omnino speculatiuam, absque longa speculatione quibus animaduertet; cum præcipua, & pleraque eius obiecta citra actionem, praximue sint: tamen autem eatenus parte, qua de ente, de vno, vero, & bono, de accidenti, & prædicamentis agit, ad alicuius rei executionem dirigere possit; tamen acroamatica, & scientifica eorum obiectorum notitia ad Metaphysicam spectans non habet pro fine ordinatè expetibili eorum obiectorum executionem; quis enim altissima huius scientiæ principia propter alicuius accidentis motus localis, verbi gratia, executionem semper facilem, & sæpè inutilem ordinatè expetat. Vnde finis huius scientiæ non est actio, sicuti ad facultatem practicam oportet, sed ipsa veritas, prout ad speculationem requiritur. Plura alia circa obiectum, modumque tendendi Metaphysicæ dici poterant: quæ tamen, quia facilia, in præsentiarum, vel penitus omisimus, vel breuiter attigimus; eo certè consilio, ut in rebus difficilibus postea nobis liceat esse longiores.

LIBER SECVNDVS.

De essentia & attributis entis incorporei præcisè sumpti, siue entis ut sic.

TRACTATVS I.

Quousque essentia entis ut sic distinguatur ab existentia.

CAPVT I.

Essentiam aptitudinalem creatam distinguere realiter ab existentia verius est.

IN TA B. Thomas 1. p. quæst. 3. art. 4. & 2. contra Gent. cap. 32. cui eius ad stipulantur asseclæ. Ita etiam Scotus in 3. dist. 6. quæst. 1. cui etiam eius discipuli adherent. Ac demum ita schola nostræ Societatis Molina 1. p. quæst. 3. disp. 2. Fonseca 5. metaphys. cap. 6. quæst. 6. & cap. 8. quæst. 5. Albertinus tomo 2. corollariorum disp. 1. quæst. 1. Collegium Conimbricense 1. de interpretat. cap. 1. quæst. 2. art. 2. Pro quorum, ac nostræ sententiæ probatione præmitto primò, possibilitatem intrinsecam rerum distinguere realiter ab existentia, quam possibilem denominat. Suadetur primò, quia etiam eorum, qui non distinguunt essentiam actualem ab existentia, plures distinguunt possibilitatem intrinsecam ab existentia, aiuntque hos esse diuersos status. Vide Hurtadum in præfati. Secundò, quia possibilitas est ab æterno, existentia verò in tempore, possibilitas necessaria, existentia contingens; possibilitas improducta, existentia producta: igitur distinguuntur. Dices, distinguere ob argumentum factum possibilitatem extrinsecam prouenientem formaliter ab omnipotentia, distinguere, inquam, ab existentia. Sed contrà: quia ideo omnipotentia ab æterno potest producere, quia res

est possibilis, & non repugnans intrinsecè: igitur hæc possibilitas intrinseca est distincta ab existentia. Contra secundò: quia tam vera est hæc propositio; ab æterno homo intrinsecè est possibilis; ac est vera hæc; in tempore homo est existens: ergo sicut homo non denominatur in tempore existens per aliquid extrinsecum; ita neque possibilis præcisè per aliquid extrinsecum; alioquin cedo rationem, cur res non sit existens præcisè per aliquid extrinsecum, sicut est possibilis præcisè per aliquid extrinsecum. Confirmatur: quia sicut cum dicitur, homo est possibilis, hæc denominatio est omnino extrinseca; ita similiter denominatio durantis, vbicati, similis, possent esse omnino extrinseca ab omnipotentia. Contra tertio: quia chimæra est ab æterno intrinsecè impossibilis, & non præcisè per denominationem ab omnipotentia, aut alio extrinsecò, ut in Physica fusè probauimus: ergo similiter, &c.

Præmitto secundò, essentiam eam esse, per quam res constituitur in ratione entis. Probatur, quia existentia est ea, per quam res constituitur existens: ergo à pari, essentia est, per quam res constituitur essens, siue ens: id quod D. Thomas de ente & essentia cap. 2. perspicuè docet, ibi: *Nomen igitur essentie non sumitur ab ente secundo modo dicto; aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quæ essentiam non habeant, ut patet in priuationibus; sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto: unde commentator in eodem loco dicit, ens primo modo significat substantiam rei.* Vnde sic argumentor: essentia sumitur ab ente, idque dicitur ens, quod essentiam, siue substantiam aliquam habet: ergo essentia est, per quam res constituitur in ratione entis: quemadmodum si homo est id, quod corpus, & animam habet, rectè sequitur corpus, & animam esse, per quæ constituitur homo in ratione hominis.

Præmitto tertio, ens esse id, quod potest esse, seu quod

quod est aptum natum habere esse. Hæc conclusio, quæ iam pertinet ad quæstionem, de voce probatur: viuens simpliciter sumptum est, quod aptum natum est vivere, seu quod simpliciter potest vivere: ergo & ens quod potest esse. Probatur antecedens: scilicet ab actuali exercitio vitæ res dicitur simpliciter viuens: ergo sufficit ad conceptum viuentis simpliciter aptitudo sola viuendi in actu secundo. Probatur antecedens: animal concernit conceptum viuentis simpliciter, fortes est animal simpliciter, quantumlibet nullam exerceat operationem vitæ: igitur & viuens. Declaratur contra Caietanum, & Sorum: quia ens sumi potest, aut nominaliter; & ita nihil aliud est, quam id, quod est aptum esse; aut participialiter: & ita nihil aliud est, quam quod actu habet esse, siue quod actu est essens, ut ita loquar, siue existens: quam duplicem significationem entis perspicue docent P. Suarez 1. Metaphys. disput. 2. section. 6. & Fonseca 4. Metaphys. capit. 2. quæst. 3. section. 2. igitur ens ita sumi solet, ac debet, ut sit idem, ac aptum natum esse, prout tertio loco supposuimus.

4 Hinc probatur nostra assertio, nimirum distingui realiter essentiam aptitudinalem ab existentia. Essentia est, per quam constituitur ens: sed ratio constitutiva entis distinguitur realiter ab existentia: ergo, &c. Maior constat ex secunda suppositione. Minor probatur: possibilitas intrinseca distinguitur realiter ab existentia, ut perspicuum est ex prima suppositione: sed hæc possibilitas est ratio constitutiva entis, ut liquet ex vltima suppositione: ergo, &c. Confirmatur, quia omnes antiqui distinguunt essentiam realiter ab existentia, tantum habent sermonem de possibilitate, ut colligere est ex Scoto, Capreolo, & aliis: igitur ubi datur realis distinctio huius possibilitatis ab existentia, reipsa datur essentiam aptitudinalem realiter distingui ab existentia.

5 Argumentor secundò: non omne prædicatum posituum hominis est virtualiter intrinsece existentia hominis, seu totalis, seu partialis: non ergo repugnabit prædicatum aliquod posituum hominis, quod respectu eius non sit etiam realiter existens, sed potius ab illius existentia realiter distinctum: sicut quia animal ex conceptu suo non est virtualiter intrinsece rationale, hoc ipso aliquod animal distinguitur realiter a rationali, & non tam est rationale ex parte rei, quam irrationale: at hoc ipso, quod prædicatum aliquod posituum hominis distinguitur realiter ab eius existentia, sanè in nullum aliud melius cadere potest, & debet talis distinctio, quam in hominis essentiam potentialem, siue aptitudinalem: hæc ergo ab hominis existentia realiter distinguitur. Porro autem primum, & principale antecedens argumenti multifariam probatur, & declaratur. Namque in primis, iuxta Thomistas recentiores, in diuinis rebus quævis distinguitur virtualiter ab existentia absoluta Dei, & supra eam nullam addit relationem. Rursus secundò: terminatio libera in sententia Fonseca, Salas, & aliorum Recentiorum distinguitur virtualiter ab existentia Dei, quandoquidem manente existentia Dei perit illa terminatio. Tertio in sententia Thomistarum Caietanum sequentium malitia consistit in posituo: at illa distinguitur virtualiter ab existentia, & entitate actus mali: ergo similiter, &c. Probo minorem: Deus causaliter in hac sententia existentiam, & entitatem actus mali, quin causaliter malitiam posituam, quam vocant defectum, & formale peccati. Quartò, omnis relatio prædicamentalis in sententia plurium Neotericorum virtualiter tantum distinguitur ab existentia, & entita-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

te sui fundamenti: igitur non repugnat prædicatum posituum distinctum virtualiter ab existentia. Quintò eodem modo philosophantur recentiores in bonitate, & malitia actuum voluntatis, in veritate, & falsitate actuum intellectus: ergo, &c. Sextò idem videre est in malitia positua, quam dicunt recentiores aliqui, non esse etiam realiter entitatem, ac per consequens neque existentiam: quamvis ut ipsi comminiscuntur, quælibet pars complexi, in quo malitia consistit, videlicet actus libertatis, & diuinæ prohibitionis, per quas extrinsece liber, ac prohibitus est dicat entitatem, & existentiam.

6 Præterea septimò idem colligi potest ex sententia eorum, qui asserunt, omnipotentiam nullum dicere ordinem transcendentalem, seu connexionem ad creaturas possibles; & aliunde esse intrinsece, & absolute potentem producere creaturas: prædicatum enim illud potentis posituum est, cum tamen entitas, aut existentia non sit: alias aliqua Deo entitas, aut existentia deperire posset, quantum est ex se: siquidem illud prædicatum ei deficere potest iuxta aduersarios, si per impossibile deficeret creaturarum possibilitas. Octauò ex actu conditionato, qui in multorum sententia transit in absolutum absque additione entitatis, aut existentia. Nondè ex illorum sententia, qui censent, manente existentia Dei ad eius nutum perire posse identitatem virtuale actus, per quem vult, aut non vult, cum ipsius essentia; quò ita mysterium diuinæ libertatis explicent. Decimò ex plurium Thomistarum sententia, qui idem censent de entitate inter partes materia, quæ potest adesse, vel abesse, prout abest, vel adest quantitas, manente tamen tota entitate, & existentia partium. Vndecimò idem declaratur in sententia Albertini, & aliorum, in qua spatium imaginarium est interuallum posituum distinctum ab omni existentia; aliàs aliquid esset à causa prima independens: neque enim Deus facere potest, ut spatia imaginaria in immensum quaquaueversus non diffundantur. Duodecimò eodem modo philosophati sunt multi de tempore imaginario. Decimotertio: carentia, & negatio sunt à parte rei, & tamen distinguuntur ab omni existentia, quæ simpliciter sit existentia: at non est, cur idem dici nequeat de prædicato aliquo posituo: ergo, &c. Hæc aliorum placita idecirco concessi, non quòd pleraque eorum mihi probentur, aut vera esse videantur, sed quòd nostræ sententiæ probabilitatem, ac verisimilitudinem maximopere ostendent.

7 Confirmatur: quia etsi prædicatum aliquod posituum distinguatur realiter ab existentia, stat bene dari conceptum communem existentia, conuenientem non minus Deo, quam creaturæ: ergo præcipuum aduersariorum fundamentum corruit. Probo antecedens, primò: prædicatum posituum, quod potest se communicare, & à quo fluit, & emanat aliud posituum, est prædicatum existens: quod autem huiusmodi non fuerit, existentiam non importabit: ergo, &c. Quod quidem declaro in sententia Thomistica, in qua ideo relatio diuina non est operatiua nec ad intra, nec ad extra, quia non importat existentiam: igitur prædicatum existens præter hoc, quod est, esse posituum, debet esse sui communicatiuum. Idem cernere licet in prædicatis posituis supra commemoratis, quæ à conceptu existentia exclusimus: at esse sui communicatiuum est commune omni existentia create, & increate: ergo ex hoc capite non est, cur prædicatum posituum quò tale præcisè importet existentiam.

8 Secundò idem antecedens declaro: prædicatum,

A 2 vel

vel terminans actionem, & productionem realem, vel identitatem habens cum prædicato, ad quod terminatur actio, importat existentiam, quod non fuerit eiusmodi, non erit prædicatum existentielle: at hic conceptus optimè potest esse communis existentia creatæ, & increatæ: ergo ex hoc capite non est, cur omne prædicatum positivum debeat importare existentiam. Probo minorem de existentia increata, nam de creatâ dubitari nequit: nam existentia relativa Dei terminat productionem: at quodvis aliud prædicatum absolutum Dei habet identitatem cum existentia relativa Dei: igitur conceptus ille communis est Deo, & creaturis. Tandem nullum argumentum est, quo cogamur asserere, essentiam aptitudinalem creatam identificari verè, & realiter cum existentia: igitur excludenda est identitas hæc, quando sic melius explicantur Partes asserentes, existentiam esse extra essentiam creaturæ; & in hoc superari à Deo, de cuius essentia est actu existere.

CAPUT II.

Dissoluntur argumenta quadam contra doctrinam superiorem.

9 **A**rgues aduersus eam primò: essentia potentialis nihil aliud est, quam aptitudo positiua ad esse: sicut ens potentiale, siue aptitudinale nihil aliud est, quam aptum, vel non repugnans esse, seu existere: at hæc aptitudo est realiter indistincta ab existentia: ergo & essentia potentialis est ab ea realiter indistincta. Minor probatur: quia aptitudo positiua ad esse nihil aliud est, quam non repugnans esse: at quælibet res per seipsam habet non repugnare esse: ergo, &c. Confirmatur primò: magis proprium est rei esse, quam intelligi, aut amari: at aptitudo intrinseca ad intelligi, quæ est veritas transcendentalis, & aptitudo intrinseca ad amari, quæ est bonitas transcendentalis, non distinguuntur realiter ab ente: ergo etiam aptitudo intrinseca ad esse ab eo, quod aptum est, à fortiori (vt ajunt) realiter non distinguitur. Minor infrà hoc ipso lib. fusè suadebitur, ac de se perspicua est: prædicatum enim illud intrinsecum, per quod ens esset intrinsecè aptum intelligi, foret, & non foret ens; foret quidem ens, quia esset prædicatum positivum, productum, dependens: & non foret ens, quia id supponunt aduersarij; cum aptitudinem illam, ac veritatem transcendentalem intrinsecam ab ente realiter distinguunt. Confirmatur secundò: quia etiam Deo non repugnat existere: sed hæc aptitudo, & non repugnantia est in Deo distincta realiter ab eius existentia: ergo nec in rebus creatis aptitudo ad esse, est realiter distinguenda ab esse. Antecedens quoad vtramque partem perspicuum est. Consequentia tenet: nec enim si esse creatum per seipsum non repugnet, ob id in infinitatem creatoris abibit: res namque ab eo, quod aliquid est, per seipsam realiter distinguitur, absque infinitatis prærogatiua: à fortiori ergo ab eo, quod repugnans est, per seipsam realiter distinguitur; siue, quod æquipollet, per seipsam non repugnans erit, quin propterea infinitatem vllam sibi arroget.

10 **R**espondeo, argumentum hoc non aliud convincere, quam quod detur in quavis re creatâ aptitudo intrinseca, & identificata ad id, vt existat, à causis suis producat: quod vltro fateor: at fateri non possum; nec vt fatear, cogit argumentum propositum, non dari præter priorem aptitudi-

nem aliam distinctam realiter ab existentia rei creatæ, necnon etiam ab omnipotentia creatoris, quæ huic ab æterno tribuat, vt conditio, seu quasi forma extrinseca denominationem absolute potentis producere creaturas. Et quidem vt in multis actibus veris duplicem agnosco veritatem, aliam distinctam, aliam indistinctam, & essentialem: & in multis similibus Physicè duplicem similitudinem physicam respectu eiusdem termini: & in eodem intellectu respectu cuiusvis obiecti duplicem intellectiōnem, aliam actiuam, passiuam aliam: ita haud video, cur in præsentī duplex aptitudo admitti non possit, debeatque ad id, vt quævis creatura existat: quæ ergo earum distinguitur realiter ab existentia, ea rationem habet essentia aptitudinalis, siue potentialis. Et vero hæc distinctio non tollit, quominus iure merito prædicatum positivum realiter distinctum ab existentia hominis, v.g. in quo illius essentia aptitudinalis consistit, à nobis suprâ vocatum, iudicatumque sit quid homini intrinsecum: intelligendum enim est, quod sit intrinsecum homini potentialiter sumpto aut certè particulatim, *intrinsecum*, si appellet suprâ existentiam hominis, non aliud significat, quam quod pertineat ad illam, id prædicati de quo loquimur, sitque eius finita quadam radix, & non positum in omnipotentia Dei infinite superiori, & distanti, nec ab illa deriuatum per denominationem extrinsecam.

Argues secundò: si ob aliquam rationem essentia aptitudinalis, siue potentialis distingueretur realiter ab existentia, maximè quia illa esset ab æterno, & hæc in tempore; illa improducta, hæc producta; illa necessaria, & hæc contingens: at ex his prædicatis contradictoriis tantum colligi potest, essentiam aptitudinalem creatam, & existentiam distingui virtualiter intrinsecè: quorsum ergo distinguantur realiter? Respondeo: quamvis aliqua prædicata contradictoria tantum arguant distinctionem virtuale intrinsecam, tamen vbi duo ita comparantur inuicem, vt vnum habeat esse, alterum non esse, non possunt non distingui realiter iuxta illud: *impossibile est idem simul esse, & non esse*: at essentia aptitudinalis habet ab æterno suum esse quale quale, & existentia non esse: igitur distingui debent plusquam virtualiter, atque adeò realiter.

Dices: essentia aptitudinalis non habet esse ab æterno simpliciter, sed tantum cum addito, vt vocant, & secundum quid: vnde quæ illæ contradictoria non sunt simul veræ, prima enim est omnino falsa. Ratio est, quia tunc aliquid est simpliciter tale, quando sine addito est tale: homo pictus non est simpliciter homo, quia non est homo sine addito: nunquam enim est verum affirmare, homo pictus est verè homo, sed ad veritatem eius affirmationis oportet aliquid addi prædicato, in hunc modum, homo pictus, siue effigiat. Igitur essentia aptitudinalis ab æterno est essentia, homo ab æterno est animal rationale; non tamen est verum, ab æterno essentiam aptitudinalem esse, aut hominem esse, nisi aliquid adiaceat prædicato; ac per consequens essentia aptitudinali non conuenit simpliciter ab æterno esse. Confirmatur, & declaratur: animalitas est separabilis à rationalitate in esse cognito, eo quod sine ea cognosci, & ab ea obiectiue præcindi possit, vt in Dialectica etiam à nobis admissum est: & tamen animalitas non distinguitur realiter à rationalitate, eo quod eiusmodi separabilitas non sit animalitatis penes aliquod eius esse, quod simpliciter, & propriè esse sit, sed solum penes esse intentionale, quod simpliciter, & propriè esse rei non est: nec enim rem cognosci

cognosci, aut esse obiectivè in intellectu est eam simpliciter, & propriè esse: ergo pari ratione essentia aptitudinalis non distinguitur ab existentia, quamvis ab ea separaretur, & ab æterno sit; cum tamen sit ab æterno sine existentia secundum esse essentia aptitudinalis, siue potentialis: quod propriè, & simpliciter esse non est.

13 Contra tamen sic argumentor: carentia hominis, v.g. distinguitur realiter à carentia Angeli: & tamen ab ea separari potest duntaxat penes aliquod esse secundum quid, & improprium, videlicet penes esse ipsius carentia: similiter ergo in præsentia, licet essentia aptitudinalis penes esse aliquod secundum quid, & diminutum separabilis sit ab existentia, eamque ab æterno antecuratur, haud tamen id obstat, quominus ab ea realiter distinguatur. At replicabis: carentia hominis separatur à carentia Angeli, & sine ea reperitur secundum omne esse, quod ei convenire potest; ac tantundem quantum à quavis re mundi separari potest: quod satis est, ut ab ea omnino, & summè distinguatur: ceterum essentia aptitudinalis non separatur ab existentia penes omne esse, quod fortiri potest; nec tantundem quantum à quovis alio separari potest, quia essentia aptitudinalis, siue potentialis hominis, v.g. sine Angelo existere potest: at sine existentia existere non potest: ac proinde diminuta illa separabilitas essentia ab existentia ad eam realem, ac summam distinctionem insufficiens est. Ceterum hæc replica non urget: siquidem non ob id carentia hominis distinguitur realiter à carentia Angeli, quia separabilis est ab illa penes omne esse, quod ei convenire potest; sed quia secundum esse suum veluti essentiale & identicum quale quale sit ab ea potest separari: cum igitur essentia aptitudinalis hominis secundum suum esse essentiale quamvis diminutum separabilis sit ab æterno, & de facto ita separatur ab existentia hominis, sanè haud video, cur inter utrumque detur sola distinctio virtualis intrinseca, & non potius realis. Antecedens ostenditur: nam si, ut in replica supponitur, ad distinctionem realem unius extremi ab alio requiritur separabilitas utriusque penes omne esse, quod potest alterutri convenire, certè paries, verbi gratia, non distinguetur realiter ab albedine, cum secundum esse albi non possit ab ea separari, adeoque nec secundum omne esse, quod ei potest convenire. Itaque satis ex vano dicitur, quod non distinguatur realiter essentia aptitudinalis ab existentia, quia sine illa non potest existere: ita enim fiet, ut dictum est, parietem non distingui ab albedine, cum sine illa non possit esse albus. Consequens autem est ridiculum. & replica iterum, carentiam hominis à carentia Angeli realiter distingui, non ob solam separabilitatem, sed ob habitudinem, quam ad extrema positiva realiter distincta concernunt: communis enim plerorumque Doctorum sententia est, carentias specificari, ac diversitatem mutuari à formis, quibus privantur: unde non est etiam, cur separabilitas essentia ab existentia, cum tantum sit separabilitas secundum quid, distinctionis realis index sit. Verum quod ad distinctionem realem carentiarum opus non sit habitudine ad extrema positiva realiter distincta, inde patet, quia idem amor potest omitti à voluntate, aut libere, aut necessario, & ex defectu alicuius ad amandum requisiti: omissio autem libera, & omissio necessaria sunt carentia realiter distincta.

14 Argues tertio: essentia aptitudinalis hominis seipsa, & prout condistinguitur à quocunque alio, est prædicatum positivum: at prædicatum positivum formalissimè est existentia: igitur essentia

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

seipsa, & prout condistinguitur à quocunque alio est existentia: perperam igitur essentiam ab existentia realiter distinctam esse statuimus. Minor, quæ sola probatione eget, in hunc modum probatur. Conceptus existentia non consistit in eo, quod res sit producta: aliàs essentia divina, quæ improducta est, minimè existeret: igitur conceptus existentia in prædicato positivo, & vice versa consistit, idque existet quod prædicatum aliquod positivum reipsa fortitur. Confirmatur, & declaratur: quia si existentia in prædicato positivo præcise sumpto non consistit, sed in actualitate aliqua realiter producta, non poterit assignari ratio communis existentia ut sic, quæ existentiam creatam, & incretam comprehendat, ac utrique communis sit. Consequens autem absurdum est: alias etiam ratio entis, substantia, sapientia, iustitia, &c. creatori, & creaturae communis esse non posset. Hoc argumentum rem ad prima principia deducit, omniumque, quæ nobis opponi solent, optimum est: ceterum illud multiplici doctrina, & variis instantiis ita fregimus supra c. præcedenti, ut nihil hic adduci oporteat. Alia argumenta, & quidem satis difficilia adversus distinctionem realem essentia aptitudinalis creatæ ab existentia, alteriusque æternam separationem ab alia, proposita, & soluta sunt à nobis lib. 4. Phys. tract. 2. cap. 1. & 2. nec est, quod in iis labefactandis inmoremur amplius.

C A P V T III.

Nullius rei create essentiam actualem, ac simpliciter sumptam ab eius existentia realiter distingui longè probabilius est.

15 Ita Okamus, Gabriel, & ceteri Nominales in 3. dist. 6. necnon Alentis, Durandus, & alij complures, quos refert Pater Suarez disput. 30. metaphys. sect. 1. ipse Suarez ibidem, Valquez tom. 2. in 1. part. disput. 129. num. 6. Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 3. punct. 4. Pererius 6. Physicor. cap. 4. Rubius 2. Physic. tractatu 1. quæstione 4. numero 6. Hurtado disp. 8. metaphysic. sect. 4. Ariaga disp. 1. metaphys. sect. 3. & alij complures. Quorum sententia probatur primo: essentia actualis, & simpliciter sumpta est, per quam res constituitur in ratione entis simpliciter: at per existentiam constituitur omnis res creata in ratione entis simpliciter: igitur existentia cuiusvis rei creatæ, & eius essentia actualis, ac simpliciter talis sunt realiter idem, realisque consequenter distinctionis expertes. Suadetur minor, in qua sola est difficultas. Primo auctoritate B. Thom. 1. p. q. 5. art. 1. ad 1. ibi: *Secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens secundum quod primo discernitur ab eo, quod est in potentia tantum.* Secundo ratione: seorsum ab existentia res non est simpliciter ens: igitur per existentiam res constituitur in ratione entis simpliciter. Probo antecedens: seorsum ab existentia res est ens in potentia: sed ens in potentia non est simpliciter ens: ergo, &c. Probo minorem: primo, quia esse ens in potentia est posse esse ensat posse esse ens non est esse simpliciter ens, sicut quem posse esse sapientem, non est esse simpliciter sapientem: igitur esse ens in potentia non est esse simpliciter ens. Secundo, quia assentiri in potentia non est simpliciter assentiri: similiter ergo ens in potentia non est simpliciter ens. Suadetur antecedens, quia alias intellectus existens simul in potentia ad assentiendum, & dissentiendum, diceretur hoc ipso simpliciter assentiri, & dissentiri eidem obiecto, quod omnino contradictionem implicat.

A 3

Argumen

16 Argumentor secundò, quia si essentia simpliciter talis, atque actualis distinguitur realiter ab existentia, vel prout ab ea condistinguitur, est nihil actu, vel aliquid actu: si secundum: ergo essentia, qua de loquimur, existit, prout condistinguitur ab existentia illa superaddita; ac per consequens superfluit eiusmodi existentia superaddita, atque ut superflua est reicienda: si primum; igitur nequit essentia actualis existere per existentiam superadditam: patet consequentia, quia quod est actu nihil, non potest vniri realiter: vnio enim realis terminatur ad extrema actu existentia: igitur non potest existere per existentiam sibi superadditam: nequit enim per illam existere, nisi illi vnatur.

17 Dices: aliud est esse actu nihil, aliud aliquid esse chimaram, & quid fictum: creatura possibilis est actu nihil, & tamen non est chimara: ut ergo aliquid possit esse terminus vnionis realis sufficit, quod sit actu condistinctum à chimara, quod reperitur in essentia reali, quamuis sit actu nihil. Et instatur argumentum, quia relatio in diuinis vnitur cum existentia absoluta, per quam existit; & tamen non existit, prout condistinguitur à quouis alio: ergo, &c. Ratio à priori est, quia ad terminandum vnionem realem tantum requiritur, ut sit existens, quod vnitur; vnio enim realis debet esse extremorum existentium: at quamuis extremum vnitum non sit existens prout condistinctum à quouis alio, stat bene nihil vniri, nisi sit actu existens: ergo, &c. Probatur minor, ut vnio sit extremi existentis sufficit, quod vel supponat illud existere, vel faciat illud existere: ergo non requiritur alterum horum determinate. Contra tamen sic infurgo: quia vnio per identitatem realem longè subtilior est, quam vnio realis compositionis: quare tametsi illa prior terminari possit ad aliquid, quod prout condistinctum ab ea non sit existens, neque actualitate prædictum, idque exemplo diuinarum relationum, & aliis probetur, secus tamen existimandum est de posteriori vnione, nempe compositionis. Largior quidem forte, ut vnio compositionis terminaretur ad extremum existens, tametsi ante se non supponeret in illo existentiam: at quod non sufficiat ad vnionem compositionis terminari ad extremum existens, nisi pro priori ad eam sit existens, & inductione per omnes vniones eius rationis satis aperte constar, necnon etiam ex natura, & genio eiusmodi vnionis, haud enim est ad eo subtilis, & defœcata, ut dictum est, ut more cognitionis, & identitatis realis ad aliquid pro priori non existens possit terminari.

18 Argumentor tertio: essentia actualis si distinguitur ab existentia, causabit illam in genere causæ materialis, & receptiuae: sed causa præsupponitur existens ante effectum: igitur & essentia ante existentiam distinctam, & superadditam, igitur non existit per existentiam à se indistinctam. Dices: quemadmodum subsistentia, quam plerique entitatem incompletam esse his temporibus comminiscuntur, ad alios quoscumque effectus cauendos prærequiritur, iuxta vulgarissimam parceriam: *actiones sunt suppositorum*. Cæterum ut ipsa subsistentia à natura causetur, alia subsistentia præuia non requiritur, ne in infinitum progredieremur: ita similiter ad cauendos materialiter alios effectus, causam materiale præexistere debere, ad cauendam tamen materialiter ipsam existentiam causam materiale præite existentem supponi nec posse, nec debere. Non dissiteor, hanc solutionem esse probabilem, & rectè posse sustineri, si quod supponunt Thomistæ, essentia, & actualitas non recidunt in idem, sed potius intelligi potest aliquid actu esse, quin sit existens: ita enim quid verat, essentiam

vi actualitatis sibi propriæ, & pro priori præsuppositæ recipere existentiam, eamque materialiter causare? Atque hoc pacto præfata solutione ut probabilis vñ sum in Physica lib. 2. tract. 2. cap. 3. argum. 4. Cæterum, cum suppositum eius solutionis sit omnino falsum, ac nullum, magisque disputandi gratia, quam quod verum illud existimarem à me alibi admissum: tanè non video, quid fieri possit, ut essentia causare valeat materialiter existentiam à se realiter distinctam: per quid enim eam potest causare? certe non per existentiam aliam priorem, ne sit processus in infinitum: deinde nec per actualitatem suam: actualitas enim existentia omni prior, & ab illa condistincta, est prorsus chimarica, atque commentitia, uti parebit inferius. Hinc etiam patet, exemplum subsistentiæ in contrarium adductum nullius esse momenti: quin enim naturā ut præiū subsistens suam causet materialiter subsistentiam, est per quid eam causet; videlicet per suam existentiam, siue actualitatem.

Argumentor quartò: ex veritate sempiterna nonnullarum propositionum non inferitur, essentiam actualem esse ab æterno: igitur absolute non est ab æterno: igitur non est distincta ab existentia. Prima, & secunda consequentia probatur, quia potissimum huius distinctionis fundamentum est veritas sempiterna nonnullarum propositionum. Probatur antecedens: etiam hæc propositio, *existentia est existentia*, est ab æterno vera; & tamen hinc non inferitur, existentiam esse ab æterno: igitur nec ex veritate sempiterna huius propositionis, *homo est animal rationale*, inferitur animal rationale esse ab æterno; ac per consequens neque essentiam actualem hominis in illo consistentem. Sicut igitur hæc propositio, *existentia est existentia*; æquiualeat huic, existentia potest esse existentia; vel huic, si detur existentia, erit existentia: ita per eandem æquiualentiam explicari poterit illa, *homo est animal rationale*, in hunc modum: homo potest esse animal rationale, vel si detur homo, erit animal rationale. Hinc manifestè inferri videtur, essentiam actualem hominis, nempe animal rationale, non esse absolute ab æterno, sed vel tantum conditionate esse ab æterno, vel certe solam eius possibilitatem esse ab æterno: utroque autem modo existentiam esse ab æterno quid prohibet?

Argumentor quintò: quia si essentia actualis realiter distingueretur ab existentia, vna esset producta, & altera improducta: at hæc duo implicant contradictionem: ergo, &c. Probatur minor: in tantum aliquid producit, in quantum eius existentia producit: ut in tantum homo producit, in quantum eius existentia producit: ergo existentia producit, & essentia actualis producit: quo enim modo produceretur essentia actualis, nisi producta eius existentia? Vide quæ differuimus suprā citat. cap. 3. tractatus, librique secundi physicorum. Scio quidem aliquos aduersariorum existimare, non in tantum aliquid produci, in quantum eius existentia producit; & essentiam actualem prout condistinctam ab existentia produci posse, & à causis extr. Verum hæc solutio falsitatis euincetur inferius.

Itaque eius impugnatione aliquantulum dilata, sexto sic argumentor: si existentia realiter distinguitur ab essentia actuali, nihil non generabitur, nullaque actio creatiua erit: quod cum fide, & ratione repugnat. Sequela probatur: quia si existentia Angeli realiter distinguitur ab eius essentia, erit forma illius, ut aduersarij fatentur: deinde sine essentia, quam existentem denominat, saltem naturaliter esse nequibit, ut etiam aduersariis constans est: ergo existentia Angeli in eius essentia à se realiter distincta recipitur, &

ab

ab ea educitur : qua ratione formæ omnes materiales tam substantiales, quam accidentariæ in subiectis recipiuntur, & ab iis educuntur: id quod etiam aduersarij largiuntur: ergo existentia Angeli generatur: cum igitur in tantum aliquid generetur, in quantum eius existentia producit, eo quod essentia omnis rei improducibilis, & incorruptibilis sit; certe Angelus, & quævis alia res necessariò generabitur, & nullo modo creabitur. Dices primò, aliquid generari, est generari eius existentiam dependentem ab aliena, non vero à propria essentia: qua ratione forma materialis generatur, quia eius existentia generatur dependentem ab essentia materiæ; non vero dependentem à sola essentia propria ipsius formæ: at aliquid creati est, existentiam generari dependentem à propria ipsius rei essentia solummodo: cum ergo existentia Angeli solum generetur dependentem ab ipsius essentia Angeli, sanè Angelus non generabitur, sed creabitur. Contra tamen: quia actio creatiua Angeli non terminatur ad essentiam Angeli, cum hæc improducibilis sit: ergo ad solam eius existentiam; ad hanc autem terminari nequit, cum hæc iuxta aduersarios dependentem ab essentia Angeli generetur: nihil igitur est in Angelo, quod eam actionem creatiuam terminare possit; ac proinde Angelus eam terminare, creatiue non poterit. Dices secundò, existentiam Angeli, esto essentialiter eius essentia adhareat, ei tamen non inherere: sicut actio creatiua iuxta cōpures termino suo essentialiter adhæret, non inheret; unde eam existentiam non generari, sed creati more actionis creatiue. Contra tamen, quia omnis modus essentialiter generatur, ut in Phil. lib. 5. tract. 2. cap. 5. ex professo ostendimus: at existentia est modus essentia: ergo, &c. Rursus, existentia Angeli est posterior eius essentia, nec naturaliter dari potest, quin essentiam Angeli intrinsecè afficiat, & extrinsecè denominet: cur ergo intellectio Angeli, v.g. generetur, & non existentia Angeli? Equidem non conspicio, cur existentia Angeli saltem diuinitus generari nequeat, eo ipso quod ab essentia Angeli realiter distinguatur: ergo & Angelus diuinitus generari potest. Consequens autem euidenter falsum est.

22 Argumentor septimò: eiusmodi essentia actualis, quam aduersarij ab existentia realiter distinctam comminiscuntur, aut est æterna, necessaria, & improducta, aut est in tempore, & à Deo producta: neutrum dici potest: ergo, &c. Non primum, quia fide sanctum est, omnem creaturam esse in tempore, & non esse ab æterno iuxta illud Genes. 1. *In principio creauit Deus calum, & terram*: & August. 1. de Genes. ad liter. cap. 3. *Illud certe accipiendum est in fide, & si modum nostre cognitionis excedat, omnem creaturam habere initium, tempusque ipsum creaturam esse, ac per hoc ipsum habere initium, nec esse coeternum creatori*. At si essentia actualis rosæ, v.g. ab æterno esset, aliqua creatura à Deo distincta ab æterno foret. Rursus fide sanctum est, nullum ens esse necessarium, aut à se, præter Deum iuxta illud Ioannis: *Omnia per ipsum facta sunt*. At si essentia actualis rosæ esset necessaria, & à se, ens aliquod actuale à Deo distinctum necessarium, & à se foret. Quod autem secundum dici nequeat, facile probari potest: quia omne, quod est actu, extra causas eo ipso existit: aliàs cur Deus de potentia absoluta rem aliquam actu positam extra omnes causas conseruare nequeat absque eo, quod existat? aut si in creatis, quod est extra causas, eo ipso formalissimè non existit, cur è contrario quod existit, eo ipso formalissimè extra causas esse, & actionem terminare debeat? Aut cur demum carentia, & priuationes verè, & propriè non existant,

quantumlibet extra causas verè, & propriè non sint? iuxta illud Augustini de Genes. ad liter. lib. vnico cap. 5. ibi: *Non enim Deum fecisse tenebras dictum est, quoniam species ipsas Deus fecit, non priuationes, quæ ad nihilum pertinent*. Cum sic, essentia actualis, prout est extra causas, ab existentia non distinguitur; ac per consequens è conuerso, prout condistinguitur ab existentia, actu extra causas esse nequit, sicut aduersarij congingunt.

Præterea id ipsum probatur: vbi non est possibilis 23 aliquis effectus formalis alicuius formæ, nec est possibilis ipsa forma: at existentia illius distincta ab essentia actuali non est possibilis aliquis effectus formalis: quem enim effectum formalem eiusmodi existentia tribuere potest? Siquidem eius partes non sunt efficere, vt res actu sit, cum munere essentia actualis actu sit; nec efficere, vt extra causas sit, cum etiam munere essentia actualis extra causas collocetur, & earum actionem terminet; nec etiam efficere, vt res sit per se, cum hoc sit munus subsistentia, quæ substantia propria est; nec etiam efficere, vt sit in alio, cum hoc sit munus inherentiæ accidentis propria; nec etiam efficere, vt res sit in tempore, aut loco, cum hoc sit munus durationis, & vicationis: nullus ergo effectus formalis remanet, quem eiusmodi existentia præstare possit. Tandem, actualitas formalissimè est existentia: ergo essentia actualis existentiam includit, ab eaque realiter distingui nequit. Antecedens ex sola apprehensione terminorum constat, & est Diui Thomæ 1. part. quæstione 3. artic. 4. ibi: *Esse est actualitas omnis forme, vel nature*. Scoti in 2. distinct. 3. quæstione 3. Suarez disp. 31. metaphys. sectione 5. Molina, Vasquez, Fonseca, & omnium ferme Philosophorum, ac Theologorum, si nonnullos Thomistas excipias.

CAPVT IV.

Fit satis argumentis contra doctrinam precedentem.

24 **A**rguunt primò aduersarij: humanitas Christi vnita Verbo retinet propriam essentiam actua-lem, ac naturam hominis: at non retinet propriam existentiam, cum per existentiam Verbi existat. Respondeo: essentia actualis & existentia dupliciter sumi possunt, ac solent. Primò, prout à nobis in superioribus explicatæ sunt: & in hoc sensu humanitas Christi vnita Verbo non existit per existentiam Verbi, sed per propriam existentiam; vt facile probari posset, si alienæ messis non esset. Secundò, sumi possunt pro natura, & subsistentia, quod enim natura, & essentia actualis coincidunt, idemque sæpè sapius significant, omnibus compertum est: ex quo etiam fit, vt subsistentia naturæ correlatiua pro existentia essentia correlatiua haud rarò sumatur: in hoc autem sensu essentia etiam actualis & existentia realiter distinguuntur: & humanitas vnita Verbo per existentiam Verbi sicuti subsistit, sic etiam existit. Verum hic sensus, in quo solo argumentum factum efficax esse potest, extra præsentem controuersiam est; & nec nobis officere, nec aduersariis proficere potest.

25 Arguunt secundò: hæc propositio est vera: *homo non est existens*: igitur subiectum distinguitur à prædicato realiter: sed subiectum est essentia, & prædicatum existentia: igitur essentia, & existentia debent distingui realiter. Secunda consequentia, quæ sola indiget probatione, in hunc modum ostenditur:

A 4

propositio

propositio affirmatiua nunquam est vera, quin subiectum identificetur realiter cum predicato, vt per omnes discurrere constabit: igitur negatiua nequit esse vera, nisi subiectum sit distinctum realiter à predicato. Probat hanc vltima consequentia, primò: à paritate. Secundò, à ratione: quia sicut affirmatiua affirmat identitatem, ita negatiua distinctionem subiecti à predicato. In primis instatur argumentum, quia etiam hæc est vera: *existentia non existit*, & tamen existentia non distinguitur realiter à seipsa. Secundò instatur argumentum, quia etiam existente essentia, est verum dicere in illorum sententia: *essentia distinguitur realiter ab existentia*, & tamen non est verum dicere: *essentia non est realiter existens*: ergo hæc propositio, *essentia hominis non est realiter existens*, non exprimit distinctionem realem essentiae humanæ ab existentia. Respondeo ergo, propositionem illam negatiuam, *essentia hominis, siue homo non existit*, haud aliud significare, quam quod aptitudo hominis ad existendum non sit reducta ad actualitatem, & existentiam: hinc autem non fieri, quod detur distinctio realis inter essentiam actua-lem, & existentiam; sed ad summum, quod detur inter essentiam aptitudinalem, seu potentialem, & existentiam.

26 Arguunt tertio: *essentia Dei actualis distinguitur virtualiter ab existentia Dei*: ergo essentia actualis creaturæ: quæ enim distinguntur virtualiter in diuinis, distinguuntur realiter in creatis: unde natura, & substantia; quæ in diuinis virtualiter distinguntur, in creatis realiter distinguntur: intellectio, & volitio, quæ in diuinis virtualiter distinguntur, in creatis distinguntur realiter; & sic de aliis predicatis: ergo si essentia, & existentia distinguntur virtualiter in diuinis, in creatis oportet ea distingui realiter. Sed instatur argumentum: primò in natura creata possibili subsistente per substantiam sibi realiter identificatam. Secundò in intellectu creata possibili, quæ sit idem cum volitione realiter. Et confirmatur hæc instantia, quia de facto multi censent, conceptum volentis realiter includere conceptum intelligentis: igitur nihil vetat, possibilem esse volitionem, quæ in suo conceptu realiter imbibat, & includat intellectum: à concreto enim ad abstractum rectè sumitur argumentum, quod ad præsens attinet. Deinde respondeo: non omnia, quæ distinguntur virtualiter in diuinis, in creatis realiter distinguntur: nam in diuinis distinctio ipsa virtualis est virtualiter distincta saltem inæquarè ab extremo, quod distinguit: & tamen in creatis distinctio virtualis vnius extremi ab alio, non est realiter distincta ab extremo per illam distinctio: ergo, &c. Probat antecedens quoad secundam partem, quæ sola indiget probatione: distinctio illa aut est virtualiter vtrumque extremum, aut vtrumlibet; si secundum, habeo intentum; si primum, non magis distinguitur à quouis extremorum, quam alterum ab altero: at alterum ab altero tantum distinguitur virtualiter, vt supponimus: ergo & ipsa distinctio virtualis.

27 Arguunt quartò, & præcedens argumentum corroborant: esse, siue existentia creaturæ plus distinguitur ab eius essentia actuali, quam esse, siue existentia Dei ab eius actuali essentia distinguitur: at esse, siue existentia Dei ab eius essentia actuali virtualiter intrinsecè distinguitur: ergo esse, siue existentia creaturæ non solum virtualiter, verum etiam realiter ab eius essentia actuali distinguitur. Minor perspicua est, quia sicut in Deo intellectio, & volitio per analogiam ad intellectum, & volitionem creatam

realiter distinctam virtualiter distinguntur: & sicut etiam gradus superiores, & inferiores entis, v.g. & substantia ob conuenientiam cum creaturis, in quibus hi gradus virtualiter distinguntur, etiam in Deo virtualiter distinguntur: ita pariter essentia, & existentia in Deo non poterunt non distingui virtualiter per analogiam, & conuenientiam cum essentia, & existentia creaturæ realiter, aut certe virtualiter distinctis. Maior suadet ex illo Exod. 3. cap. ibi: *ego sum, qui sum*. vbi Dominus Moysen alloquens ait sibi peculiari modo conuenire hoc, quod est existere, siue esse, quod creaturis non conuenit, magisque proprium sui esse, hoc, quod est esse, quam vilius creaturæ: vt Augustinus 1. de Trinit. cap. 1. explicat ibique vero proprie de Deo dicuntur, quæque in nulla creatura inveniuntur, raro ponit Scriptura diuina, sicut illud, quod dictum est ad Moysen, *ego sum, qui sum*, & *qui est, misit me ad vos*; cum enim esse aliquo modo dicatur, & corpus, & animus, nisi proprio quodam modo vellet intelligi, non id vtiq. diceret. Tum sic, Deo proprio aliquo modo conuenit esse, quo creaturis non conuenit: ergo quia maiorem habet identitatem esse, siue existere cum actuali essentia Dei, quam cum essentia creaturæ: ac proinde plus distinguitur esse, siue existentia ab actuali essentia creaturæ, quam ab essentia Dei: quæ erat maior probanda.

28 Respondeo esto existentia creaturæ ab eius essentia actuali tantum virtualiter intrinsecè distinguatur: haud secus ac in Deo essentia, & existentia duntaxat virtualiter distinguntur; bifariam tamen explicari potest, quatenus esse, siue existere peculiari modo Deo, eiusque essentia conueniat, quo quidem existentia rei creatæ ei non competit. Primò quia nullum esse, nullaque existentia in Deo est, quæ ab eius essentia, & quidditate actuali realiter distinguatur, eo quod Deus omnis accidentis expers sit iuxta illud Augustini lib. 3. de Trinit. cap. 1. ibi: *sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine actu presentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbiq. totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia omnia facientem, nihilque patientem*. At in creatura non vnum, sed multiplex esse ab eius actuali quidditate, & essentia realiter distinguitur, cum variis accidentibus à se realiter distinctis afficiatur, ac mutetur. Secundò id ipsum explicari etiam dilucidius potest: quia existentia substantialis rose, v.g. ita eius essentia, & quidditati congruit, vt hæc quamvis ab ea virtualiter solum distincta, ab ea tamen separari possit: in Deo tamen hæc separabilitas repugnat, eo quod non contingenter sicut creatura, sed necessariò existat: aliter ergo esse Deo, & aliter creaturæ conuenit, tamen à neutro suum esse realiter distinguatur. Permissi disputandi gratia huic, & præcedenti argumento, essentiam actuaalem, & existentiam in Deo virtualiter intrinsecè distingui. Caterum probabilius est, eas nec in illo, nec in nobis ita distingui, sed potius tum re cum etiam ratione esse identificatas: id quod ex dictis ad finem capitis præcedentis satis aperte liquet: ita autem si res habet, nihil erit in duobus argumentis præcedentibus momenti: supponunt enim ambo, essentiam actuaalem Dei, & eius existentiam distingui virtualiter intrinsecè, quod tamen falsum est. At dices: aliud est, hominem esse actu animal rationale: aliud, hominem actu esse; & alterum ab altero separari potest: at hominem esse actu animal rationale est actualitas essentia, & hominem actu esse est actualitas existentia: ergo actualitas

litas essentia ab actualitate existentia, ac per consequens essentia actualis ab existentia itidem actuali ad minimum virtualiter distinguitur saltem in nobis. Contra tamen; quia hominem actu esse animal rationale, & hominem actu esse sunt idem formalissime sub diuersis terminis: & oppositum à Thomistis non probatur, nec probabile est.

29 Arguunt quintò: essentia actualis Petri est eadem heri, & hodie: existentia autem Petri non est eadem heri, & hodie: ergo essentia actualis, & existentia Petri realiter distinguuntur. Consequentia perspicua est: quia separabilitas realis & propria distinctionem realem arguit: at eo ipso, quod propositum antecedens verum sit, sanè actualis essentia ab existentia simpliciter, ac verè separari poterit: siquidem actualis essentia Petri hodie existit absque eo, quod eius existentia crastina hodie existat. Porro autem antecedens cuius prior pars probatione non eget, quoad posteriorem probatur: quia potest Petrus existere hodie, quin cras existat: ergo eius existentia crastina, & hodierna realiter separabiles, ac distinctæ sunt; seu, quod perinde est, eius existentia non est eadem heri, & hodie. Atque huc fortassis videbitur alicui alluisse Seneca epist. 58. *Quaecunque videmus, ac attingimus, Plato in illis non numerat, quæ esse propriè putat: fluunt enim, & assidua diminutione, atque adiectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit iuuenis. Nemo est manè, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more; quicquid vides, currit cum tempore: nihil ex his, quæ videmus, manet: ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus: in idem flumen bis non descendimus: manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est. Hoc in amne manifestius est, quam in homine: sed nos quoque non minus velox cursus præteruehit; & ideo admiror dementia nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque nequando moriamur, cum omne momentum mors prioris habitum sit. Vis tu timere ne semel fiat, quod quotidie fit? De homine dixi, fluida materia, & caduca, & omnibus obnoxia casibus: Mundus quoque æterna res, & inuisita mutatur, nec idem manet. Eodem modo, quo Seneca, loquitur D. Basiliius Homil. 23. de non adhar. reb. sæcul. Est autem vita nostra fluminis quidam continuè, & irremissis, ac indefinitibus fluctibus plenus; quorum alio præterlapso iam alius in cursu præsens est: & hoc pacto ad commune mortis mare properamus. Rursus quod caput est lib. 4. Regum cap. 14. vers. 14. ibi: Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: vita, & existentia nostra comparatur aquæ successivè labenti, vt exponunt Vatablus, & noster Gaspar Sanchez, & alij.*

30 Respondeo: existentia hodierna, aut crastina duo comprehendit, videlicet existentiam, necnon durationem, quæ tempori hodierno, aut crastino commensata est: vnde vt actualis essentia Petri ab existentia hodierna, aut crastina realiter inadæquatè distinguitur (quod & non amplius argumentum conuincit) satis est, vt essentia illa Petri à duratione hodierna Petri realiter distinguatur; quod nos vltro fatemur, & in Physica explicuimus, cum de duratione sermonem haberemus: at necesse non est, vt essentia Petri, quæ de loquimur, ab eius existentia secundum se præcisè sumpta realiter distinguatur: quod solum nobis aduersatur. Quod autem spectat ad auctoritates in contrarium allegatas, non id eis conuincitur, existentiam nostram primariam prout condistinctam ab essentia actuali, esse successiuam, & singulis momentis aliam, atque aliam: sed potius tam essentiam

nostram actualem, quàm existentiam non adæquatè, sed inadæquatè esse in continuo fluxu, & identidem perire: quidni verò, cum nullum ferè momentum sit, in quo aliquid spirituum vitalium, ac materiæ ad vitam necessariæ non amittamus? Atque hunc esse scopum tum Scripturæ sacræ, tum Basilij, ac Senecæ ex ipso verborum, quibus vtuntur, contextu apparet.

31 Respondeo secundò, essentiam actualem, de qua in præsentì semper sermo est, & existentiam rei bifariam sumi posse: primò prout quatenus tam hæc, quàm illa est illud esse primum, & actuale, quo res à suis causis egreditur. Secundò ita, vt essentia sola rei sit illud esse primum, ac permanens, quod à causis ipsius rei producitur, & actu ponitur: existentia verò sit duratio successiua, quæ res temporì labenti correspondet, quæque per verbum est, siue existit sæpè sæpius exprimitur in hunc modum: *Petrus est, vel existit.* Hunc sensum explicat, & amplectitur Molina 1. part. disp. 2. quæst. 3. art. 4. essentia ergo, & existentia in hoc posteriori sensu realiter distinguuntur: & id duntaxat argumentum factum conuincit: secus verò in priori sensu, qui potissimum in controuersiam reuocatur.

32 Arguunt postremò aduersarij auctoritate Aristotelis 2. post. cap. 7. ibi: *Quid autem sit homo aliud est, quàm hominem esse: ac deinde: esse verò nulli rei est essentia.* Item auctoritate Boëtij lib. de hebdomad. cap. 1. ibi: *Diuersum est esse, & id quod est.* Boëtio ad stipulantur plerique Patres super illud Exodi c. 3. *Ego sum, qui sum.* Verum hæc, & similia argumenta duntaxat conuincunt essentiam creatam a prirudinalem à parte rei verè ab existentia distingui: quod probè intelligi potest absque eo, quod distinguantur distinctione reali, aut summâ, essentia actualis, de qua in præsentì sermo est, & existentia.



TRACTATUS II.

De identitate, & distinctione realientis vt sic.

CAPVT I.

In quo sita sit identitas, ac distinctio, seu multiplicitas realis?

33 **N**VL L V M est ens, quod non sit idem secum, nullum, quod non distinguatur ab omni non ipso: quare negari nequit, quin identitas, ac distinctio sint attributa entis vt sic: porro autem cum varia sint genera identitatis, ac distinctionis (aut enim alterutra est realis, aut formalis, aut virtualis intrinseca, siue extrinseca) auspicandum arbitror ab identitate, & distinctione reali: in quibus explanandis plures circumferuntur sententiæ. Quarum prima est, identitatem indefinibilem esse, nec clariùs explicari posse, quam per se nota sit: quia nulla definitio definitum explicat, nisi definitionem esse idem cum definito cognoscatur: at definitionem esse idem cum definito cognosci nequit, quin priùs cognoscatur, quidnam sit identitas: antequam igitur definitio identitatis eam explicet, priùs identitas per se nota supponitur, ac proinde nequit per definitionem clariùs, & dilucidius explicari. Contra tamen sic argumentor: quia cognitio identitatis, alia est perfecta, & quoad quid est;